

*Ypho blay*  
*de lo ypho*  
Q. B. V. D.

*De*  
De

STYLO NOVI  
TESTAMENTI  
GRÆCO,

EXERCITATIO PRIMA,

QVAM

PRÆSIDE

BALTHASARE STOLBERGIO,  
GRÆCAR. LITER. PROF. PUBL.

DISCEPTANDAM PUBLICE  
PROPONIT

M. CHRISTIANUS ANDREAS SIBERUS,  
Scandaviâ Misnicus, Sereniss. Elect. Saxon. Alumn.

*Die 1. Julii, ANNO AE. C. cI9 I9c XXCII.*

IN AUDITORIO MAJORI.

WITTENBERGÆ,

Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

*CXVII. 28.*

diss. A  
7, 28



V I R O

NOBILISSIMO, MAGNIFICO AC  
CONSULTISSIMO,

DOMINO

ADAMO CHRISTO-  
PHORO JACOBI,

Utriusque Juris Doctōri Celeber-  
rimo, Sereniss. ELECTORIS SAXONIÆ in supremâ  
Provocationum Curiâ, & Protolynedrio Ecclesiastico,  
Confiliario splendidissimo, ac Reipublicæ Dresden-  
sis Syndico gravissimo,

*Domino Patrono ac Mecenati omni observantiæ cultu  
semper prosequendo,*

Hanc Exercitationem Academicam

D. D. D.

RESPONDENS.







**I**mmensa sunt quæ TIBI, Patrone, debeo, levia  
quæ rependo. Nec satis grates reddere, nisi sit mihi  
beneficii memoria sempiterna. Tuo enim favore ac ope  
(ut prope in omnes Musarum sacris operantes affectum  
inclinās) beneficio publico affectus sum. Par itaque ac  
fas est, ut hanc exundantis benignitatis memoriam dulci  
studio alam, gratâ recensione prosequar. Sed conatibus  
sum impar. Linearum enim brevitatem numeroque ver-  
borum, beneficia magna mensurari non possunt. Accedit  
ergo hæc pagina, professionem ingentis debiti, obstrictæ-  
que voluntatis nunciatura. Si non despicias haud fictas  
Clientis voces (quod pronus supplico), cumulum velut ac  
supplementum congesti favoris addere videberis. Quo  
lætus absolutam felicitatem apprecatur Tibi,

*Vir Nobilissime, Magnifice,*

humillimus Cultor

M. Christianus Andreas Siberus.



PRÆSTANTISSIME DOCTISSIMEQUE  
DN. MAGISTER SIBERE,

Amice atque Affinis Charissime,

**M**agna est probæ educationis utilitas, magna vis & effi-  
cacitas. Quas enim juvenum animæ formas imaginatione primâ  
concipiunt, has aboleri deinde haud facile sinunt, etiamsi plura alia obve-  
niant. Proinde quò initium fuerit præstabilius, eò meliora credenda  
sunt, quæ posthac sequuntur. Cujus enim natura ac præclara indoles, di-  
sciplinâ & severitate à pravitatibus custodita, sinceraque & integra con-  
servata, totò statim pectore arripit honestas artes, ille deinceps, ad quod-  
cunque inclinet studium, id solum agit, id universum haurit. Quod tuo  
exemplo, Ornatisime SIBERE, maximè approbas. Eum namque ani-  
mum semper retines, ea literarum studia diligentissimè persequeris, qui-  
bus à puerò, paternò primùm non solum exemplò laudatissimò, verum etiam  
institutione ac doctrinâ es assuefactus. Et quoniam haud rudis ad Musa-  
rum Academicarum castra accessisti, neque expers humaniorum litera-  
rum, quas à plerisque hodiè contemni vel negligi videmus, eò citius feli-  
ciusque, exiguò licet temporis spaciò, in sublimiorum artium ac doctrina-  
rum sacrarium penetrasti; ut ex æqualibus tuis paucos habeas pares, pleros-  
que vincas & superes. Quò nomine Tibi meritò & ex animò gratulor,  
Deumque veneror ac rogo, ut in posterum quoque tuis laboribus faveat,  
efficiatque, ut & Venerabili Domino Parenti gaudio, & Patriæ usui sis  
& ornamento. Dabam è Museo meo d. 26. Junii, Anno Christi  
M. DC. LXXXII.

PRÆSES.





Θεῶ σὺν παλάμα!

DE  
STYLO NOVI TESTAMENTI  
GRÆCO,

EXERCITATIO PRIMA,

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIUM.

**N**on idem placet omnibus: neque numen ipsum curiosis mortalium animis satisfacit. Sententia Galeni de rerum omnium Autoris sapientiâ laudatur. Momus Hominis & Tauri artificem reprehendit. De Tauro respondet Aristoteles. Quæ Deorum sunt, non debent vituperari. Scriptura s. calumniis obnoxia. Gentilium accusationes. Bembi & Politiani nefanda dicta. Politiani studia. Superiorum temporum calamitas, & eruditorum vanissima curiositas. Prima Christianismi secula disertis præconibus indiguerunt. Judicia de Minutio, Tertulliano, Cypriano, per convitium Copriano. Lactantius eloquentiæ studuit. Quæ causa? Prophetarum dictio an simplex? Esaias cum Cicerone comparatus ac prælatus à Mornæo. Maimonides Judæorum doctissimus. Deum omnium judicem qualis deceat oratio. Majestas styli prophetici. Profani Critici Hebræi idiomatis ignari. Diversa ratio versionum & Lingvæ cujusvis scripti primæ. Steuchus Hebræam linguam ταυτολογίας in simulat. Ipse hanc & græcam ignorasse arguitur. Richardi Simonis Critica audax, ἀκρισίας & κακοκρίσιας oppleta. Συνωνυμία & ἐξεργασίαι apud Græcos frequentissima. Testes Pricæus, Bootius, Stanleus, Scholiastes Aristophanis. Non debent Hebraismi nominari. Heinsii assensus. Eugubino opponitur Ribera. Idem baud temere bis dicitur.

A

Eaten-



Facientur gentiles. Causas varias percenset Gellius. Afferuntur plures ex Homeri Scholiasta. Aristophanes Euripidis inimicus. Hebraea Lingua an manca, horrida, dura, perplexa? Steuchi ignorantia. Illius & Arabicae L. laudes nimiae. Quaelibet habet suas peculiariter elegantias. Nihil in Naturâ omni virtute ac bonitate destituitur. Dicitur Heracliti Ephesii. Persici sermonis praestantia. Graecis alii omnes sunt barbari, & his vicissim Graeci. Arguta Anacharsidis Scythae responsio. An Dialecti nomen Barbaris dandum? Redarguitur Philoponus & Clemens Alex. Dialectus duo significat. Antiquiores Barbaris dialectos non denegant. Longini Rhetoris pagani laus. Moysi nostri orationem tanquam magnificam praedicat. Homeri magniloquentia cum Davidis sublimitate componitur. Plato Moses altissimus: multa hausit e sacris fontibus. Ejus praenotio magna cum verbis Michae Prophetae contenditur. Heinsius notatur. Longinum impugnat Gallorum eruditissimus Huetius. Sententia examinatur & distinguitur. Tanaquilli Fabri commendatio. Ajacis silentium quavis oratione sublimius judicatum. Sententia de Deo ac rebus divinis faciunt orationem gravem, at non semper oratoriam. Historicis major rerum quam dictionis cura. Una oratio diversos admittit characteres. Materiarum diversitas eosdem efficit diversos. Stylus Jeremiae: judicia disparia. Rusticum apud Romanos veteres quid? An Spiritus S. se accommodavit ad Prophetarum ingenia & usum naturalem? Jeremiae stylus examinatur ac defenditur. Hieronymus refellitur à Sanctio. Probat Augustinus. Amos bubulcus. Stylus ab Hieronymo accusatus, ab Augustino commendatus. Omnes habet partes Hermogeniana magnitudinis. Scriptores sacri non solum sapientes, sed & eloquentes. Respondetur Hieronymo. David pastor; nec tamen rusticus in sermone. Similitudines ex agrò & sylvâ petita non coinquinant dictionem. Ezechiel an subrusticus? Hieronymi eruditio praedicatur. Viri magni pluribus occupati non penetrant in singula. Jeremias & Ezechiel simpliciores Jesaiâ. Hoseas commaticus. Commata & cola apud Rhetores differunt. Apud Hieronymum idem valent. Aliquando comma est sectio plures continens versus. Nunc breves & concisas sententias designat. Proferuntur ex Homero exempla. Hieronymus se ipse interpretatur.

§. I. Ut





**V** sunt multiplicia hominum ac varia ingenia; sic perquam dissimiles diversasque de rebus iisdem ferunt sententias. Non enim idem æquè placet omnibus: verum quod ab his tanquam politum, comtum, elegans commendatur prolixè, ab illis ceu fastidiosum, putidum, ineptum protinus rejicitur. Neque extat usquam aliquid tam sanctum & augustum, tam venerandum ac colendum, tam perfectum denique & omnibus suis partibus expletum, in quo non plura adhuc desiderent mentes curiosæ, & quibus unica voluptas est nasutulis esse. Quotquot è profanis gentibus Deum rerum omnium autorem & conditorem agnoverunt, ipsius bonitatem & sapientiam magnopere sunt admirati, summamque gloriam & prædicatione extulerunt. Cum enim multò sit facilius rerum omnium ortum verbis explicare, quam vel unam opere efficere; verba tamen nostra sapientiam illius, qui nos creavit, usque adeò inferiora iudicavit Galenus (a), *ὡς ἂν ἐξηγήσαιτο δυνάμεθα, τὰ πρὸς ἐκεῖναις πράξιαις γενομένα*, ut ne enarrare valeamus ea, quæ Deus nullò negotiò fecit. Quid ad hæc Momus Noctis filius *τρισάλας* Ⓞ; Et Hominis & Tauri vituperavit artificem. In illo fenestratum pectus requirebat, ut sic eò recluso ac patente omnibus perspicuum fieret, quid sibi vellet, quid meditaretur, veranè promeret an ficta & simulata. Huic non in fronte, sed armis optabat posita cornua, unde vehementius ferire posset, quemadmodum proditum est Luciano (β), & Aristoteli (γ): quorum posterior Momum de Taurò refellit, ostenditque, non fuisse in his perspicaci ingenio. Rectè ac præclare Theocritus: *Μηδεὶς τὰ θεῶν ὀνόσαιτο*, Nemo, quæ Deorum sunt, vituperet (δ).

(a) de usu part. lib. 15. c. 1.

(β) Hermosim. s. de Sectis T. II. & Nigrino T. I. iterumque Verar. Historiar. Lib. II.

(γ) Lib. III. de part. Anim. c. 2

(δ) Εἰδουλλ. XXVI. vers. ult.

¶ 2. Idem abunde de se experta est scriptura sacra, variis jam olim iniquorum profanorumque hominum exposita & exagitata censuris, qui & dicendi characterem tanquam trivialem, sordidum & barbarum damnarunt, & doctrinæ rerum ideò contemptæ fidem omnem abrogarunt. Quæ calumnia etsi Novi Testamenti scripta imprimis tangit, de quibus & nos in posterum acturi



sumus; non tamen omninò manus impuras abstinuit à monumen-  
tis Fœderis Antiqui. *Hæc imprimis causa est, scribit Lactantius Di-  
vinarum Institutionum quintò, qui est de Justitiâ, capite primò,  
cur apud sapientes, & doctos & principes hujus seculi, Scriptura San-  
ctâ a fide careat, quod Prophetæ communi ac simplici sermone ut ad  
populum sunt locuti. Contemuntur itaq; ab iis, qui nihil audire  
vel legere, nisi expositum ac disertum volunt: nec quicquam in-  
herere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet.  
Illa verò quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existiman-  
tur. Adeò nihil verum putant, nisi quod auditu svave est, nihil credi-  
bile, nisi quod potest incutere voluptatem; nemo rem veritate ponde-  
rat, sed ornatu. Non credunt ergò divinis, quia fuco carent. Hæc  
illorum fuit sententia, quorum nullus, opinor, margaritam ab-  
jecisset, quod in sterquiliniò esset inventa. Sicuti nec fructus bo-  
ni, qui nascuntur cum spinis, repudiantur: suntque odorifera  
quædam in magnò preciò, licet bestiarum sint recrementa.*

§. 3. Attamen inter Christiani nominis consortes reperti  
sunt nonnulli, qui de sacrarum Literarum stylò neq; rectius, neq;  
benignius statuerunt, præsertim apud Italos, quibus superiori  
seculò nihil cordi fuit, nihil probatum, nisi lectum in Tullio. Pe-  
trus Bembus, qui per omnem vitam hoc unum spectavit & quæsi-  
vit, ut consequeretur svavitatem dictionis Ciceronianæ in ora-  
tione solutâ, & Ovidianæ in versu, factus Cardinalis, admoni-  
tusque à Collegâ, ut daret operam Sacris Literis, respondit: *Se  
semel in vitâ legisse, ac valdè fuisse offensum, & propter genus dictio-  
nis, & propter res ipsas: se nusquam apud ullum legisse orationem  
minus compositam, & coherentem, & consentientem in omnibus parti-  
bus; & se amissurum esse id, quod reliquum haberet pietatis, si semel  
adhuc legeret Biblia, observante Alexandro Alesio (e). Idem ut fa-  
cerent, persuasit aliis, atque Amico autor fuit, ne Epistolas S.  
Pauli, quas contemtum Epistolaccias appellabat, attingeret; vel si  
cœpisset legere, de manibus abjiceret, si elegantiam scribendi  
& eloquentiam adamaret, teste Scipione Gentili (z). Qui metus  
præposterus, ne mundicia orationis, semel labore multò compa-  
rata, contaminaretur, etiam Politianum à sacrorum Librorum  
lectione absterruisse videtur. Interrogatus, an Biblia legisset,  
respon-*

(e) Comment.  
in. 2. Timoth.

(z) Comment.  
in Epist. ad Pbi-  
lem.



respondisse fertur: *Semel perlegi librum istum, & nunquam collocavi  
pejus tempus ullum.* Nimirum politissimus ille Politianus quamdiu  
vixit, disputavit, *dicendum ne esset Vergilius, an Virgilius? Carthagi-  
nensis, an Carthaginensis: Primus, an Preim?* Et si quid otii ab hujus-  
modi nugis superfuit, Epigramma aliquod græcè composuit in  
Cupidinis aut præposteræ Veneris laudem. Quis jam negaverit,  
judicium hujus hominis esse gravissimum, adeoque dignum,  
quod causæ nostræ adferat præjudicium. Fuit omninò illius ævi,  
ac paulò superiorum temporum, magna & deploranda calamitas,  
fuit eruditorum curiositas vanissima, & sapientia perversa; quan-  
do factorum Codicum lectionem vel planè despiciebant, vel ita  
sectabantur Theologiam, ut in meram inciderent *ματαιολογίαν*,  
ac de frivolis nugis sine fine digladiarentur. Nec levis fuit aut  
umbratilis contentio de quæstionibus supervacaneis, & à pietatis  
studiò alienis: *An Deus possit quodvis malum, etiam odium sui præ-  
cipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui? An  
possit suppositare banc pennam, quâ scribo? An quælibet persona di-  
vina possit quamlibet naturam assumere, quomodo Verbum  
Humanam assumpsit? An hæc Præpositio, Deus est scarabæus aut cu-  
cubita, tam possibilis sit, quàm ista: Deus est homo?* Cujus generis  
ineptiarum de Potestate Dei & Pontificis Romani, magnum cumu-  
lum extruxit Erasmus (n). Aliquas videre & legere est apud Ludo-  
vicum Vivem (9). Sæpe res ad clamorem, sæpe ad vera dis-  
sidia, nonnunquam ad convicia, aliquando usque ad pugnos  
processit.

§. 4. Ut scripturæ sacræ autoritatem contemnebant pro-  
fani Sophistæ; sic pro nihilò putabant hos, qui illam interpreta-  
bantur, homines quippe indisertos, quorum sermo jejunus esset  
& ingratus. Dolet hîc, & primorum seculorum infelicitatem  
queritur Lactantius, quibus *Sapientia & Veritas idoneis præconibus  
indiguerunt* (i). Etsi enim ipsius judicio Minutius Felix sat com-  
modus Veritatis assertor esse potuit, non tamen se totum ad id

(n) Annot. in  
1. Tim. 1. 6.

(9) præfat.  
Comment. in  
August. de  
Civ. Dei.

(i) l. c.



jus seculi idcirco deriserunt, atque immutata unâ literâ *Copri-*  
*num* vocârunt. Cum ergo deessent periti doctores, qui causam  
veritatis ornatè copiosèque agerent, difficile fuit errantes ab  
ineptâ persuasione ad veram fidem traducere. E contrario Philo-  
sophi, Oratores, Poetæ sermonis suavitate incautos Christiano-  
rum animos, & quorum non stabilis fuit, ac solidis radicibus fun-  
data & fixa sententia, in errores induxerunt. Hanc ob causam  
cum religione eloquentiam conjungere voluit doctissimus Pater,  
ut *quantum Veritas vi suâ propriâ valet, tantum ingenii quoque vi-*  
*ribus nixa exereret se aliquando, & discussis convictisq; tam publicis,*  
*quàm eorum, qui sapientes putantur, erroribus, humano generi cla-*  
*risimum lumen inferret* (x).

(x) *Lib. III. c. I.*

§. 5. Mirum in Prophetis accusari simplicitatem dictionis,  
quorum plerique tantò & splendore & majestate usi sunt, ut lon-  
gè supra omnem vim græcæ celebratissimæ facundiæ assurrexerint.  
Eam verò criminationem tum frequentem extitisse, discimus pa-  
riter ex Augustino (λ), cum Prophetas nostros tanquam inerudi-  
tos, & elocutionis ignaros contemni scribit. Horum ineptissi-  
morum Criticorum perversum corruptumque judicium non in-  
firmat solùm, sed penitus convellit Esaias ὕψιλότατος: quem  
cum Cicerone ipso comparare, ac præferre hoc nomine haud du-  
bitavit Nobilissimus Mornæus (μ). *In scripturis, inquit, habemus*  
*etiam prophetias, & in his minas, conciones, vehementes motus. In*  
*eò verò argumentò Oratores tonant & coturnum induunt, quò in*  
*genere Latini Ciceronem mirantur. Testor hîc, quicumq; eadem*  
*mente, eòdem animi statu, utrumq; legerunt: quid ad Esaiam, Cicero?*  
*Et quid Ciceronis blanda illa insinuationes, & pueriles ignorantia ex-*  
*cusationes, ad viva & gravia, venerandaq; ipsâ majestate Esaiæ*  
*exordia? Quid denique longa illa, quanquam numerosa, illius perio-*  
*di, quibus sibi ipse blanditur, ad illa hujus commata, tum concisa,*  
*tum planè incisoria, quibus tanquam conduplicatis fulminibus, con-*  
*tumacissimos quosque stupefacit ac terret? Sed inter Græcos Cicero*  
*ipse Æschinem in illâ suâ adversus Demosthenem oratione miratur,*  
*quò locò sese ille in furores & convicia effundit, fanatico quàm mentis*  
*compoti propior; quid illa eloquentia, vehementia, sublimitatis ha-*  
*bent, ( Lectores utrumq; adeant rogo ) ad hac nostri Esaiæ paucula*  
*verba?*

(λ) *de Doctr.*  
*Christ. Lib. IV*  
*c. 7.*

(μ) *de Verit.*  
*Relig. Christ.*  
*c. 26.*



*verba?* Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem prævaricati sunt contra me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel non cognovit, populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, & quæ deinde sequuntur. Haud mediocria sunt, quæ Mornæus asserit, sed maxima & amplissima: eaque nos verissima esse putamus. Nec profani illi censores, dum suorum gregalium præceptis inhærebunt, id jure ullò inficiabuntur. Num simplex ac humilis stylus est, cum Propheta noster de gentis alicujus vastatione & everfione vaticinans, *stellas ait, cecidisse, cœlos interiisse, solem obtenebratum, terram vastatam & commotam esse*: cum è contrario felicitatem & prosperitatem promittens, *Lumen solis vel Lunæ augeri, vel cœlum & terram innovatum iri*, prædicit? Alia plura his gemina cum ex hoc tum cæteris Prophetis observavit Judæorum doctissimus Maimonides (v). Rectè quidem Veteres docebant, non decuisse Deum, cum loquebatur ad homines, copiosâ oratione uti, ac prolixis argumentis asserere suas voces, tanquam aliter fides ei non habeatur: qui verò sic locutus est, ut oportuit, breviter & nudè, quasi rerum omnium maximus judex, cujus non est argumentari, sed pronuntiare verum. Sed isthæc nuditas & brevitatis non est horrida & inculta, sed sœvis & jucunda, quæque magnam habet vim & *δευότητα*, ac cum sententiis rerum gravissimis plurimas illustriores metaphoras, aliaque vehementiora orationis lumina, Apostrophas, Prosopœias, & similia exhibet. Non malè Heinſius, Deum suam voluntatem, proprio verbò expressam, per Prophetas vel imprimis, tantò cum pondere ac sermonis vi, humano generi reliquisse ait, *Ut non minus hæc humana eloquentia, quàm in creatione humana cedant ac vincantur opera* (ξ).

(v) *Doctore Perplexor.*  
p. II. c. 29.

(ξ) *Prologem in Exercit. sacr. p. 1.*

§. 6. Verum profani illi Critici, qui neque Linguam veteris Testamenti calluerunt, multò minus naturalem accentuum concentum habuerunt cognitum, sic de Versionibus judicârunt: æquiores forsitan futuri judices, si scriptores ipsos adire, ac horum monumenta, prout ab ipsis Hebraicè sunt consignata, legere potuissent. Non eadem ratio est Interpretationis & vernaculæ

Ling.



(o) Lib. IV. In-  
stit. Orat. c. 1.  
sect. 3.

(ω) apud  
Münst. præfat.  
Bibl.

(ρ) Lib. II. c. 5.

(σ) in Act. or.  
c. XIII. 11.

(τ) Animad-  
vers. lib. III.  
c. 2. §. 5.

(υ) in Æschyli  
Choeph. vers.  
7. & 5.

(φ) Ranas  
p. 566.

(χ) ἰλ. λ. vers.  
163. 164.

Lingvæ, quâ illi sua conceperunt & ediderunt. Testantur hoc illorum translationes, quæ scripta sunt ab his, qui disertissimi inter omnes ab omni ævô sunt habiti. Merô enim meridie clarius est, ut loquitur Eruditissimus Vosius (o), quod scribit Jul. Scaliger, *Venere propriâ, quasiqve nat. vò cujusqve lingvæ decori, foveri sententias quasdam, subnixasqve certis Idiotismi fulturis sustineri: quos in altam quasi coloniam si deducas, iidem sanè sint cives, gratiam pristina commendationis non habebunt.* Quæ non consideravit nec expendit Augustinus Streuchus, cum sermonem Hebræum reprehendit, & in hoc peccare statuit, quod tam sepe utatur *ταυτολογία*, frequentiusqve eadem inculcet absqve ullâ necessitate (ω). Clarus & insignis fuit Præsul ille omni sapientiæ genere, & hoc nomine passim celebratur. Nihilominus affirmat Richardus Simonis, cum nec Hebræum satis calluisse sermonem, nec græcum, idqve ex scriptis ipsius demonstrari posse autumat in Criticâ Veteris Testamenti historiâ vehementer audaci, & ἀκρισίαις ac κακοκρισίαις oppletâ (ρ). Nec probare tamen Eugubini judiciû nunc possum. Si mox peccatû fuerit, ubi συνωνυμία vel ἐξεργασίαι usurpantur, non immunes erunt ab hoc vitiô græcorum disertissimi, ceu liquet ex exemplis Homeri, Hesiodi, Sophoclis, Aristophanis, Platonis, Plutarchi Græcorum, Virgilii, Gellii & Apulei Latinorum, recitatis à Doctissimo Pricæo (σ). Ostendit & Arnoldus Bootius (τ), has loqvendi formulas non Poëtis tantum, verum etiam Herodoto, Hippocrati, Platoni, Aristoteli ac Theophrasto admodum frequentari. Quibus addere licet ea, quæ Thomæ Stanlæo observata sunt (υ). Hanc consuetudinem fuisse antiquissimam docet nos Aristophanis Scholiastes (φ), probatqve Homeri exemplo (χ):

Ἕκτορα δ' ἐκ βελέων ὑπάγει Ζεὺς, ἐκτὲ κοίνης,

Ἕκ τ' ἀνδροκλασίης, ἐκ δ' αἵματ' ἄλλο, ἐκ τὲ κυδοιμῆ.

Hectorem verò extra tela subduxit Jupiter, extraqve  
pulverem,

Extraqve cædem, extraq; sanguinem, extraq; tumultum.

§. 7. Quamobrem nec illi audiendi sunt, qui Hebraismum vocant, quoties in scripturis legunt, Idem bis dictum; sive hoc fiat

fiat



fiat per synonyma affirmantia, five per opposita & negantia, ut  
 apud Johannem Evangelistam (Ψ): καὶ ὡμολόγησε, καὶ ἐκ ἠενή- (Ψ) cap. I. 20.  
 σατο, & confessus est, & non negavit. Sic Demosthenes adver-  
 sus Dionysodorum (ω): Εἰ γὰρ ἐστὶν ἡ ναῦς σώα, καὶ μὴ διεφθάρται, (ω) p. 742.  
 Si enim incolumis est navis, & non interiit. Ac paulò post:  
 Σωθείσης δὲ τῆς νεώς, καὶ ἐ διεφθαρμένης, conservata nave, non  
 perditā. Et tandem fine paginæ: Ἡ γὰρ ναῦς ὅτι μὴ σέσωται, καὶ  
 ἐστὶ σώα, καὶ παρ' αὐτῶν ἐβίων ὁμολογεῖται, Navem enim fuisse  
 conservatam & esse incolumem, etiam isti ipsi confitentur. Quod si  
 opus esse crederem, antea commemoratis ingentem cumulum  
 adderem ex Homerò, Sophocle, Lyfia, Platone, Demosthene,  
 Æschine, Aristotele, Luciano, Æliano, aliis. Jam ipse Heinſius  
 assentitur, *Qui, inqviens, bis idem dici miratur, aut sine exemplo  
 ac venustate dici contendit, quid dicūrus est, cum idem apud  
 præcipuos scriptores τῶν ἐξω occurrit?* Subjicitque exempla ex Eu-  
 ripide (α). Sæpe hîc peccavit ipse Celeberrimus Exercitator, mira- (α) Exerc. sac.  
 tusq; multa est, ac putavit sine exemplo dicta, quæ sunt vulgatissi- Lib. IV. c. 1.  
 ma apud optimos maximeqve idoneos autores. Eugubino obver-  
 timus, quæ Jesuita Franciscus Ribera scripsit (β): *Non βαττολογία (β) in Hofe.  
 est, quando Spiritus S. rem eandem repetit, sed solet verbis facta, quæ cap. VI.  
 narrat, imitari, & ponere nobis ob oculos contentionem animi, fervo-  
 remque eorum, de quibus loquitur.* Joh. I. Confessus est, & non  
 negavit, & confessus est. *Ter idem repetit, ut intelligamus, Johan-  
 nem Baptistam non simpliciter negasse, sed magnâ asseveratione & re-  
 petitione & desiderio persuadendi, se non esse Christum, q. d. Non  
 sum Christus, nolite errare in re perspicuâ, longissimè ab eò ab-  
 sum, nullò modò sum. Scilicet posterius plerumque est  
 ἐξηγητικόν prioris.* Unde Gregorius Magnus librò Moralium  
 XXVIII. capite XVII. *More, ait, sacri eloqvii res semel pro confir-  
 matione replicatur.* Ita in Oratione Jonæ cap. II. vers. 2. *Inclama-  
 vi ex angustiâ meâ, & exaudivit me: ἐ ventre sepulcrali vociferatus  
 sum, exaudivisti vocem meam.* vers. 3. *Nam projeceras me in profun-  
 dum, in intimam partem marium, &c.* Ælianus, cum docere  
 instituit, Deo etiam brutas animantes curæ esse, πρόνοιαν,  
 B inſit,

(α) Exerc. sac.  
Lib. IV. c. 1.

(β) in Hofe.  
cap. VI.



ἰοφίε, αὐτῶν καὶ οἱ θεοὶ ποιῶνται, καὶ ἔτε αὐτῶν καταφρονῶσιν, εἰδὲ μὴν ὀλιγώρως ἔχουσιν, Hoc quoque animalibus contigit, quod Diis cura sint, neque vel contemnantur ab eis, vel negligantur (γ).

(γ) lib. XIII.  
de Animal.  
cap. 31.

§. 8. Talia haud temerè dici, multò minus de orationis gravitate ac dignitate detrahere quicquam, Gentiles ipsi jam olim facti sunt. Noctium Atticarum scriptor elegantissimus, integrum caput vigesimum tertium Libri tertii & decimi, in hoc argumento pertractando occupavit, variosque usus τῆς συνωνυμίας exposuit. Nam & orationem ornat, eamque modulatiorem aptioremque reddit, & onerandi vel exprobrandi criminis causâ, exaggerationem aliquam speciosam facit. Imò ut multiplex rerum natura est, de quibus agitur, sic per hujusmodi geminationes auditorum animi variè ac diversè afficiuntur. Itaque in verbis illis Homeri (δ): Βάσ κ' ἴθι θλῆς ὄνειρε, *Vade vade perniciosum somnium,* acre inesse putat hortamentum imperataeque celeritatis. Nec alteram illam ejusdem Poëtae ἰσοδυναμῶντ<sup>ς</sup> vocabuli repetitionem, θάνατόν τε μόρον τε, ignavam & frigidam videri debere autumat, verum indignitatem moliendae tam acerbae, tamque injustae necis, mirandâ mortis iteratione defletam esse contendit. Est ubi hoc schema orationi claritatem ac perspicuitatem conciliat. Unde Eustathius in ἰλ. α. versum 523.

(δ) ἰλ. β. vers.  
8. & aliis locis  
saepè.

Μέμνημαι τόδε ἔργον ἐγὼ πάλαι, ἔτι νέον γε,  
ὣς ἦν. — — — —

Memini hoc factum ego vetustum, ne utiquam recens  
Ut acciderit.

Διὰ σαφηνείαν προσκείσθαι τὸ, ἔτι νέον γε, εἰ μὴν ἀναγκάτως,  
Non necessitatis, sed evidentiae causâ apponi τὸ, ἔτι νέον γε. Interdum facit πρὸς διόρθωσιν λόγου, ad sermonis correctionem, autore eodem in versum 282. 283. ἰλ. α. Aliis locis ab eodem alia redduntur rationes, quas afferre singulas nimis prolixum



lixum foret. Inprimis conducit hæc διττολογία ad elocutionis amplificationem, quia per hanc verborum copiam ex uno quasi fiunt multa, ac plura esse existimantur, quod & aures & animum sæpius feriant vocabula. Quod Euripides apud Aristophanem (ε), Æschyli versum: Ἦκεν γὰρ εἰς γῆν (ε) l. c. τήνδε καὶ κατέρχομαι, autori suo vitii loco objicit, dicens:

Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.

Ἦκειν δὲ ταυτὸν ἐστὶ τῷ κατέρχομαι,

Bis idem nobis dixit sapiens Æschylus,  
Venire enim in terram idem est quod descendere,

Neminem movere debet, cui Poëtæ mordacissimi lusus & risus non sunt ignoti: quibus jam non tam Æschylum petiit, quam Euripidem ipsum odio ab ipsò habitum exagitavit; cujus laudibus cum in Comædiis aliis, tum præcipuè in Ranis, plurimum detrahit, multisque criminibus onerat. Nam nec serium aut verum est, quod sub Personâ Euripidis affirmavit idem, *Nihil ipsum bis dixisse*: quam gloriationem multa Euripidis loca confutant.

§. 9. Haud satis habuit Steuchus objectare ταυτολογίαν, sed & *mancam, mutilam, compendiosissimam, horridam, duram ac perplexam* dicit Hebræorum Linguam, contraque Vulgati Latini Interpretis *prudentiam, judicium, utriusque Linguae absolutissimam peritiam, explicandi majestatem, & ingenii divinitatem*, palàm ac gloriosissimè prædicat, quod horrida illa & perplexa fecit apertissima, illustrissima, & Lingvæ Latinæ accommodata. De priori respondet Münsterus: *Quando insultat Linguam Hebræam tanquam horridam, duram & perplexam, bene dicit, quod scilicet sibi fuerit dura & perplexa, in quâ vix duas vel tres tenuit voculas miseras & infelices.* Unde non difficile est intellectu unicuique vel mediocriter docto, quid statuendum sit de postè iori assertione. Aliter multò sensit V. Cl. Franciscus Junius, qui Hebraicam Linguam



(ζ) Orat. de L.  
Hebraicâ.

omnium Linguarū principem, omniumq; jucundissimam pronun-  
ciavit (ζ). Quam porro cum Græca pariter & Latinâ compo-  
nens, Loqvendi, inquit, formulas, & pbrases huic linguæ pecu-  
liares, qui æquâ judicii lance examinabit, frigide illt, insulse  
atque inelegantes Græcorum & Latinorum, etiam nobilissimâ  
videbuntur elegantie. Junio adstipulatur Thomas Erpe-  
nius Oratione de Lingvâ Arabicâ, cum quâ Hebræam simul  
commendat, quod doctorum unanimi consensu, omnibus suavita-  
tis & majestatis numeris sit absolutissima. Cum verò Ara-  
bum venustates cum Græcorum Latinorumque elegantis con-  
tendit, non dubitat asseverare, Græcorum χάριτας tūm futuras  
esse ἀχάριτας, & Latinorum Gratiâs ingratas. Ut ipse mea  
facere nolim, quæ à Viris Eruditissimis paulò fidentius affir-  
mantur, cum sciam neque Thomam Gatakerum præstandi  
onus in se suscipere ausum esse, etsi mirum quantum sudavit  
pro Hebrææ Lingvæ autoritate contra Græcam & Pfochenium  
asserendâ: in eò tamen lubens assentior Viro celeberrimo,  
Nullam Linguam tam barbaram aut impolitam videri debere, quin  
elegantias sibi peculiâres habere possit, quæ aliâ etiam politiore  
ac comitiore baud satis commodè explicentur (η).

(η) contra  
Pfochen.  
cap. 2.

(θ) cap. 5  
Lib. ultimô.

(ι) l. de partib.  
Anim. c. 5.

(κ) de Curat.  
græcar. affect.  
serm. 1. de

§. 10. Benè olim Heraclitus Ephesius, cum videret  
quosdam cum ipsò colloqui gestientes, sed furnariam casam,  
in quâ fortè sedebat, ingredi reformidantes, dixisse fertur:  
Introire, nam & hic Dii sunt, observante Gellio (θ). Verba  
græca, Ἐνταῦθα γὰρ ἐστὶν αἰὲν θεοὶ, legere est apud Aristotelem (ι).  
Nihil in naturâ reperitur, quod adeò ab omni virtute ac bo-  
nitate sit destitutum, ut nihil prorsus contineat vel admira-  
tione vel laude dignum. Proinde Græcorum stulta Persua-  
sio, qui non solum omnium gentium dialectos, ceu barbaras  
& incultas, irridebant, verum etiam doctrinas haram sermo-  
nibus traditas altò superciliò contemnebant, meritò ac jure  
castigatur à Theodoro (κ), ipsarumque jactantiæ & ostenta-  
tioni obducuntur Persæ, qui Græcæ eloqvutionis venustatem  
argutâ

natur. Hominis.



argutâ sermonis brevitare superare aliquando sunt existimati. Si sententiæ Hebraicæ, in alium alterius gentis sermonem translatae, minus concinnæ & comptæ videntur, cogitandum est, idem in Lingvâ Græcâ accidere, cujus elegantissimæ elegantiae in Romanam conversæ Lingvam, si verbum verbô red- ditum sit, ac propria Atticorum phrasis retenta, valdè appa- rebunt inelegantes, haud rarò plusquàm barbaræ consuebuntur. Ut Persæ, Indi, Scythæ, Syri, Hebræi, alii, Græcis existiman- tur barbari, sic ab his Græci vicissim tales habentur. Cum Athenienses barbariem exprobrarent Anacharsidi Scythæ, ar- gutè acurèque respondit: Ἐμοὶ δὲ πάντες Ἕλληνες σκυθίζουσι, *Mibi verò Græci omnes Scythiffant.* Magis adhuc ridiculi sunt Grammatici, qui Barbaris, ut vocant, nationibus Lingvas sive γλώσσας tribuunt, διαλέκτους negant, tanquam si soli Græci διαλέγεσθαι dicerentur, non etiam Barbari. Ita Johannes Philoponus de dialectis: Τὰς μὲν ἐν βαρβάρους, ἐν πλήθει ἕσους καὶ ἀπεριλήπτους, οὐκ ἔστι ῥάδιον παραδῆναι. Ἄλλως δὲ ἔδὲ λεκτέον αὐτὰς διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσους, Barbaras igitur, cum multa sint, nec comprehendere queant, non est facile tradere. Adhæc neque dicenda sunt dialecti, sed Lingvæ. Eadem legun- tur apud Clementem Alexandrinum ἑρωματέων primo: Ἀπεριλήπτους δὲ ἕσους τὰς βαρβάρων φωνὰς, μηδὲ διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσους λέγεσθαι. Quæ nos falsa & absurda judicamus. Duo significat Διάλεκτος. Primò omnem elocutionem, estque tunc hominis propria, cum eâ careant bestia. Deinde elocu- tionem notat differentem, vel discretam loqvendi rationem, seu idioma linguæ, quâ natio à natione, populus à populò di- viditur & Lingvâ dissonat. Et primâ & secundâ notione Bar- baris convenit haud minus atque Græcis. Habent Barbari articulata[m] elocutionem, habent quoque plura unius Lingvæ idiomata ac proprietates, quod satis constat è nostrâ verna- culâ. Hòc sensu posteriori διάλεκτος non est διάλεκτος, sed nomen Adjectivum, deductum non à διαλέγεσθαι, sed ἀπὸ τῆς



διαλέγειν, quod est discernere & segregare. Unde διάλεκτος, differens, dispar, discretus, & γλώσσα διάλεκτος: tandemque absolutè, ut fieri in talibus amat, διάλεκτος differens elocutio. Aliter statuerunt Græci antiquiores. Diodorus Siculus Romanorum Linguam τῶν Ῥωμαίων διάλεκτον nominat, atque aliquam ejus notitiam sibi tribuit libro primò. Paulò post omnibus hominibus καθ' ἅπασαν τὴν οἰκισμένην dialectos assignat, ac speciatim commemorat Ægyptiam, Tauricam, alias. Immò quintò libro Siculos barbaram habuisse διάλεκτον prodit, antequam Græcorum sibi familiarem reddiderunt: iterumque Barbaros percenset, τὴν διάλεκτον ἔχοντας ἐξηλλαγμένην καὶ δυσκατανόητον, inusitatam atque intellectu difficilem. Philosophus ipse cum de dentibus agit (λ), horumque usu, tales, ait, hominem ac tot numero accepisse, potissimum πρὸς τὴν διάλεκτον, ac nullum inter nationes discrimen constituit. Omitto Herodotum Græcorum Historicorum vetustissimum, apud quem legere est non solum βάρεβαρον γλώσσαν ἰέντας (μ), verùm etiam ἐλλάδα (ν). Et qui sermonem dat Barbaris, qui λόγον & διάλεξιν & λέξεις, non poterit iisdem abrogare διάλεκτον.

(λ) lib. III de  
 part. Anim.  
 c. 1.

(μ) Clio p. 21.  
 (ν) Calliop. p.  
 518

§. II. Et quid tandem opus est inhærere diutius frivolis commentationibus, eaque omnia retexere, quæ exorsi sunt homines partim imperiti & Linguarum rudes, partim vetustis erroribus occupati, & falsis ineptisque opinionibus imbuti. Quibus opponimus Rhetorem κριτικώτατον, Bibliothecam vivam & ambulans Museum, ut appellabat Eunapius, Dionysium puta Longinum, hominem pago deditum, impii illius Porphyrii præceptorem, ac Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ consiliarium, qui de Characterè sublimi, Vossio judice sapientissimo, *ablectum & planè aureolum reliquit libellum*. Hic Mosem nostrum laudat, quod de Deo, ejusque potentiâ, usus sit magnificâ oratione, Afferam verba ipsa: Τάυτη καὶ ὁ Ἰᾶν ἰσραηλίων Θεομοθέτης, ἔχ' ὁ τυχῶν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τῷ Θεῷ δύναμιν κατὰ



κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, καὶ ἔφη, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας  
 τῶν νόμων, εἶπεν ὁ θεός, φησί, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο: γε-  
 νέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο, Sic est Judaeorum Legislator, vir non vul-  
 garis, quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate notam  
 fecit declaravitque, statim initiō proœmii legum suarum scribens:  
 Dixit Deus, inquit, quid? Fiat lux, & facta est lux: fiat terra  
 & facta est (o). In his, quæ proximè antecedunt, Homeri lo-  
 cum de Neptuno adduxit Longinus, ut magniloqui caracte-  
 ris, & grandium animo conceptarum imaginum præberet  
 exemplum.

(o) περὶ ὕψους  
 cap. VIII.

— — Τρέμε δ' ἔρεα μακρὰ καὶ ὕλη  
 Ποσσὶν ὑπ' ἀθανάτοισι ποσειδάων ὀϊόνισσιν,  
 Βῆ δ' ἐλάαν Ἰπὶ κύματ', ἄταλλε δὲ κήτ' ὑπ' αὐτῶ  
 Πάντ' ἔθεν ἐκ κευθμῶν, εἰδ' ἠγνόησεν ἀνακτα.  
 Γηθοσύνη δὲ θάλασσα δίστατο, τοὶ δὲ πέτοντο,

— — Tremebant autem montes magni & sylvæ  
 Pedibus sub immortalibus Neptuni euntis.  
 Coepit autem agitare per undas, exultabant a. cete sub  
 ipsò  
 Undique è latebris: neque ignoraverunt regem:  
 Præ lætitiâ verò mare diducebatur, hi autem volabant.

Quæ verba habentur Iliadis ῥαψωδία decimâ tertiâ, versu 18.  
 & seqq. & jam ab aliis Rhetoricæ Artis Magistris, etiam ante  
 Longinum, ob sublimitatem & gravitatem sunt notata ac lau-  
 data. Verum apud sacros scriptores & multò plura hujus ge-  
 neris ὑπερφυσῶ φαντάσματα, ut vocat Dionysius, & meliora  
 quoque atque altiora reperiuntur, præsertim apud Prophetas  
 & in Hymnis. Itaque Davidem (π) componamus cum Home-  
 ro artifice summo, & literaturæ omnis humanioris parente,  
 atq;

(π) Psalm. 77.  
 vers. 17. seqq.



atque experiamur, uter alterum vincat & superet. *Viderunt Te aqua Deus, viderunt te aqua & timuerunt, & turbatae sunt abyssus. Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes. Etenim sagittae tuae transeunt, & vox tonitruum tui in rotas. Illuxerunt coruscationes tuae orbi terra: commota est & contremuit terra. In mari via tua, & semita tuae in aquis multis, & vestigia tua non cognoscuntur. Et haec tamen Vulgati versio longissimè adhuc abest cum ab Hebraicarum vocum vi atque emphasi, tum ipsarum sententiarum ubertate ac pondere. Ad dam his Hymni 97. initium: Dominus regnavit, exulcet terra, latentur insulae multa. Nubes & caligo in circuitu ejus: justitia & iudicium, correctio sedis ejus. Ignis ante ipsum procedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Alluxerunt fulgura ejus orbi terra, vidit & commota est terra. Montes sicuti cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Annunciaverunt caeli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus. Complura alia nec dignitate minora, ex reliquis antiqui Foederis libris sine negotio erui, atque lectori ante oculos proponi possunt. Eant nunc profani censores, & ogganniant, sapientissimos sanctissimosque nostrae religionis interpretes esse simplices, rudes, inornatos, indisertos, è quorum fontibus ipsorum Praeceptores, in primis Plato multa hausit. Τι γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων, quaerit Numenius Philosophus Pythagoricus apud Clementem Alexandrinum *σρωματέων* 2. Quid enim est Plato, nisi Moses atticissans? Plura in hanc sententiam legere est apud Eusebium (e). In caeteris Platonicae magniloquentiae exemplis, ille etiam numerari laudarique consuevit locus, qui est in Phaedro (σ): Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμῶν ἐν ἄρανῳ Ζεὺς, πλὴνὸν ἄρμα ἐλαύνων, πρῶτ' ὁ πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελέμεν' ὁ, τῷ δ' ἔπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη πεκοσμημένη, Magnus utique dux in caelo Juppiter, citans alatum currum, primus incedit, exornans cuncta providens, disponens. Hunc sequitur Deorum demonumque*

(e) de Praeparat. Evangel. lib. 10. 11. 12. 13. (σ) p. 1222.

πληθῶν



numque exercitus, per undecim partes ordinatus. Meminit hujus dicti Hermogenes Rhetor doctissimus, *περὶ ἰδεῶν* Tomo secundo (τ), tribuitque *σεμνότητα* sive gravitatem. E nostris observavit Justinus Martyr (υ), ac desumptum credidit ex Ezechiele Prophetâ (φ). Heinſius expressum arbitratur è Michææ verbis (χ): *Vidi Jehovaham in solio sedentem suo, totumque cœli à dextra sinistraque assistentem illi exercitum.* Ac subjicit: *Stricta autem uti Platonis Gracismum non exprimit interpretatio, ita Hebraismi vix adumbrat majestatem.* Quid non capio. Quid enim expresſit suâ interpretatione Plato, si neque Gracismum expresſit? cum græcè loqui voluit, & meò judicio locutus est. Fortassis hæc suâ imitatione Hellenistarum idioma nobis effinxit, medium quoddam inter Hebraismum & Gracismum, ubi voces sunt græcæ, significatio & constructio Hebræa. Non aliam mentem habuisse potuit Vir Clarissimus, si modò se ipse intellexit. Ita græca omnia fiunt Hellenistica, alba atra, elegantia sordida, preciosa vilia, & ex quolibet quodlibet.

§. 12. Ut ad Mosem revertar. Longino contradicit Gallorum eruditissimus Petrus Daniel Huetius (ψ), & quæ ille tanquam sublimia & *ἐξηματισμένα* affert è Mose, ut ejus styli *ἀδρότητα* approbet, simplicissima pronunciat. *Rem quidem, inquit, narrat Moses longè maximam sed stylò λιῶ.* Atque hinc adducor, pergit, *ut credam hæc aliunde Longinum accepisse.* Nam si ad ipsos recurrisset fontes, & Mosi libros evolvisset, summam deprehendisset ubique *χαράκη* & *ἰχνότητα*, quam persecutum esse Mosem puto, propter dignitatem materie, quæ doceri contenta, respuit omnem ornatum. Hæc ille. Assentior Huetio, si verba intelligat singula. Aliter statuendum, ubi in tantâ vocum simplicium ac vulgarium brevitate, tanta sententiæ vis, tanta dignitas & gravitas elucet, quæ divinæ potentiæ ineffabilem & incomprehensam majestatem, per quam omnia dicta sunt facta, & ut Græci, *ἄμ' ἐπὶ*, *ἄμ' ἐργον*, efficacissimè representat & ob oculos ponit. Ideo Tanaqvillus Faber, vir, qui non solum Græcis & latinis literis egregiè est imbutus, sed & rarâ valet *ἀρχινοία*, teste Bocharto (ω), huc refert ac confert illud Virgilii de Jove, *Totum nutu tremefecit*

(τ) p. 19. b.

(υ) Cohortat. ad Græcos

p. 23.

(φ) cap. XI. 22. 23.

(χ) 1. Reg. XXII. 19.

(ψ) Demon-  
strat. Evangel.  
T. I. Prop. IV.  
n. 53.

(ω) Hieroz. p. 1.  
lib. II. c. 18.

C

fecit



*fecit olympum, atque alterum de Neptuno: Hec ait, & dicto citius  
tumida equora placat. Quale quod. subjicit, an tota habeat  
Græcia, haud equidem satis memini. Atque hoc est, in quod defigit  
intenditque; animum auctor Nobilissimus, cum imprimis requirit in  
Oratore, ut assuefaciat animū ad magna & grandia, neque humiles  
abjectasque cogitationes & meditationes foveat. Consentaneum  
enim est, horum orationem esse grandem, quorum graves fue-  
rint & ponderosæ. ἐννοία. Unde idem maximus Rhetor ipsam  
per se spectatam sententiam, nullā voce explicatam, aliquando  
admirabilem esse docet, ob illam ipsam animi magnitudinem.  
(α) Ὀδυσσ. λ. (δι' αὐτὸ τὸ μέγα λόφρον): ac tale judicat Ajacis in Νεκύια (α) silen-  
tium, magnum nempe & quavis oratione sublimius. Scilicet in  
characteribus dijudicandis consideranda sunt tria, Compositio,  
verba & sententiæ: ex his, quæ de Deo rebusque divinis conci-  
piuntur, gravem quidem efficiunt orationem, at non semper ora-  
toriam, nisi quæ tractantur ἐκφράσει ρητορικῇ, conformatione  
oratoriâ. Neque nunc de universâ Mosis historiâ disquiritur,  
quam grandem & sublimem asserere haud est opus. Nec Longi-  
nus hoc dixit, sed locutus duntaxat est de τῇ εἰσβολῇ τῶν νόμων,  
de proœmiō sive ingressu aut principiō legum; ac fortasse respe-  
xit ad illud Pindari (β): Ἀρχομένους δ' ἔργα, πρόσωπον χερὶ θέμεν  
τηλαυγές. *Auspicientes opus frontispicium decet facere longè  
splendidum.* Nimirum eloquentiæ studium, ex ipsorum Magistro-  
rum doctrinâ, non convenit Historico, cujus est majorem habere  
rerum quàm dictionis curam. Scribitur namque Historia ad  
narrandum, non ad probandum, totumque opus non ad actum  
rei, pugnamque præsentem, sed ad memoriam posteritatis com-  
ponitur. Idem statuendum de cæteris Historicis libris. Verun-  
tamen pro variō argumento ac tractandi modō, varii etiam gra-  
dus servari possunt. Necessè haud est orationem unam unō eō-  
demque caractere totam scribere; multò minus integram histo-  
riam. Autor ad Herennium (γ): *Figuram in dicendō commuta-  
re oportet, ut gravem mediocrem, mediocrem excipiat attenuata.*  
*Deinde idem commutentur, ut facillè fatietas varietate vitetur.*  
Præterea cum materia, in sacrarum literarum monumentis con-  
signa-*

(α) Ὀδυσσ. λ.  
vers. 562.

(β) Ὀλυμπ. 5.

(γ) Lib. IV.

signa-



signata & tradita, sit peculiaris, multumque discrepet à vulgari-  
 bus rebus hominumque actionibus, ac complectatur divina my-  
 steria singularissima, ut intellectu, sic effatu difficillima; eò mi-  
 nus mirandum est, si & dictionis character alius aliquando ac di-  
 spar appareat, præsertim in tali lingvâ, cujus ipse genius peculia-  
 ris & singularis est, & à Græcorum Latinorumque idiomate lon-  
 gè remotus. Nam quemadmodum alius ornatus principi, alius pri-  
 vato convenit; aliudque schema militem, aliud agricolam, aut mer-  
 catorem aut philosophum condecet: ita neque omnis materia eodem  
 tractanda est modò, sed dictionis character attemperandus est quali-  
 tati, sunt verba Cl. Vossii (d). Similiter Personas distinguit D. Au-  
 gustinus: Sicut est enim quædam eloquentia, quæ magis etatem ju-  
 venilem decet, est quæ senilem, nec jam dicenda est eloquentia, si  
 persone non congruat eloquentis: ita est quædam, quæ Viros summâ  
 autoritate dignissimos planeque divinos decet (e).

(d) Instit. Orat.  
 Lib. VI. c. L.

(e) Lib. IV. de  
 Doct. Christ.  
 c. 6.

§. 13. Cæterum de Jeremiæ stylò nostrorum quoque va-  
 riant sententiæ: B. Hieronymus sic scribit in Prologo: Jeremias  
 Prophetæ sermone quidem apud Hebræos Esaiâ & Oseâ, & quibusdam  
 aliis Prophetis, videtur esse rusticior, sed sensibus par est: quippe qui  
 eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloqvii à locò ei, in  
 quò natus est, accidit. Fuit enim Anathotites (qui est usque hodie vi-  
 culus, tribus à Jerosolymis distans miliaribus) sacerdos ex sacerdoti-  
 bus, & in matris uterò sanctificatus. Hujus summi Viri judicium,  
 ut in talibus fieri amat, sine cunctatione secuti sunt Juniorum  
 multi, & in his doctissimus Vir, Petrus Cunæus (f), Jeremiæ,  
 scribit, omnis majestas posita in verborum neglectu est: adeò illum  
 decet rustica dictio. Eidem sermonem tribuit incultum & subrusti-  
 cum Cl. Leusdenius (g). Rusticum dixerunt Latini Veteres, quod  
 Græcis est barbarum. Unde Nigidio in Commentariis Gram-  
 maticis, rusticus fit sermo, si perperam aspiretur. Clarius Gel-  
 lius: Quod nunc barbarè quem loqui dicimus, id vitium sermonis  
 non barbarum esse, sed rusticum, & cum eò vitiò loquentes, rusticè  
 loqui (veteres) dicebant (h). Verum his refragatur Augustinus,  
 artis Rhetoricæ haud ignarus, quam in Scholis secularibus & di-

(f) de Republ.  
 Hebr. Lib. III.  
 c. 7.

(g) Philolog.  
 Hebr. dissert.  
 VI.

(h) Lib. XIII.  
 c. 6.



(i) l. c. c. l.

(u) l. c. c. 19.

(λ) Hermen.

fac. p. 356.

(μ) T. I. System.

p. 574.

(ν) l. c.

(ξ) Isag. p. 15.

dicat & docuit (i), atq; in omnia alia discedit. Postquam enim ē Jeremiā sententiam adduxit. *O eloquentia, exclamat, tantò terribilior, quantò purior, & quantò solidior, tantò vehementior! O verè securis concidens petras!* (u) E recentioribus ipsum defendunt Mich. Ghislerius, & Calp. Sanctius in Prolegom. qvī posterior in exemplum affert lamentationes, quibus antiquitas nihil habuit gravius, numerosius & sonantius. Cum his faciunt B Dannhauerus, qvī Hieronymi calculum suffragium nunc mereri negat (λ), ac summè Reverendus Dn. D. Calovius (μ). Nulla sunt, quæ pro causā rusticitatis afferuntur. Ajunt, in vicō apud rusticos natum & educatum esse. Fateor multorum esse sententiam, Spiritum S. sese accommodare ad organum suum, & naturalem loquendi modum Prophetæ cujusque, aut sacri scriptoris, nec docere eos linguam, quā Prophetias publicare debent. Sic docet ē Judæis Maimonides (ν). E Pontificiis Cornelius à Lapide prolegom. in Epist. ad Romanos can. 20. E Calvinianis Rivetus (ξ). Quibus respondet Dn. D. Calovius: *Sancti Dei homines locuti sunt, non quemadmodum assueti ipsi erant, sed uti Spiritus S. ipsis verba in os posuit, à quō agitati sunt, 2. Pet. l. 21. & prout Spiritus S. dedit ipsis eloqui, Actor. II. 4. Qui verò minimè se adstringi passus est ad naturalem vel communem morem, & rudes atq; indifertos unō afflatu eruditos & disertissimos reddidit*, Epistolā dedicatoriā Hülsemanniani Commentarii in Jeremiam. Ac loco cit. System. Theol. ait, Spiritum S. non respicere tam autorum dicendi facultatem, quàm materialium, de quibus dicere voluit, indolem. Quod hic imprimis notandum. Sicut enim illa, quæ à Propheta nostrō literis produntur, non sunt unius generis, ita nec stylo ac characterē simili exarata omnia deprehenduntur. Commemorantur hic conciones variæ, accusantur damnanturque populi peccata, denunciantur impiis pœnæ, respicientes consolatione permulcentur. Recitantur vaticinia de futuris Dei judiciis adversus gentes vicinas, ac proluxa denique excidii Hierosolymitani, aliarumque rerum gestarum historia describitur. Quod voces attinet Hebraicas ac phrasas, quibus ipse usus est, non minus puræ

puræ



puræ illæ sunt, quàm quæ à cæteris usurpantur. Etiam metapho-  
 ræ, similitudines, aliæque figuræ & tropi tam insignes tam illu-  
 stres hîc occurrunt, quàm in reliquis sacri Codicis partibus. Etsi  
 verò in illis capitibus, quibus Historicû potius, quàm Vatem agit,  
 simpliciore dictione delectatur; tamen in vaticiniis ac concioni-  
 bus sat plenus & sat gravis comparet. Præterea simplicitas & ru-  
 sticitas non faciunt paria, cum hæc in vitiis numeretur, illa au-  
 tem pertineat ad τὸ ἁπλῶς, efficiatque orationem moratam. Pa-  
 rum etiam probant, quæ de Natali loco disseruit Hieronymus.  
*Cum enim vicus Anathot proximè abesset Hierosolymis, non ab aliâ  
 civitate aut locò, haurire debuit Jeremias scribendi ac loquendi for-  
 mam, quàm ab ipsâ Judæorum metropoli: præsertim cum sacerdo-  
 tali tribu oriundus esset Propheta noster, quæ non tam colendis agris,  
 quàm religioni vacaret, & per vices suas habitaret in Jerusalem, &  
 in Templò sæpius; ubi sermo, sicubi, quàm longissimè aberat à rusti-  
 cò. Quæ verba Hieronymo obvertit Sanctius.*

§. 14. Quod si Jeremiæ Sacerdotis filio, ac procul dubio  
 sapientiæ studioso, vicus, in quò natus est, tantopere nocere ac  
 fraudi esse potuit; quid fiet de Amoso bubulco? Qui cum se Pro-  
 phetæ filium negavit, simul & horum disciplinam negasse vide-  
 tur. De ipso sic judicat Hieronymus Proæmio Commentariorum  
 ad Pammachium: *Ex numerò pastorum Amos propheta fuit imperi-  
 tus sermone, sed non scientiâ; idem enim, qui per omnes prophetas,  
 Spiritus S. loquebatur. Aliam hujus sui iudicii rationem nullam  
 habuit doctissimus Pater, quàm quod Pastor fuerit Amos, cui ni-  
 hilominus scientiam tribuit. Verum unde nunc adeptus est scien-  
 tiam, inde quoque nactus est eloquentiam. Et si per Amosum  
 æquè ac cæteros Prophetas locutus est Spiritus S. cujus tandem  
 erit illa imperitia sermonis? in quem redundabit culpa? Qui intel-  
 lectum clarissimâ intelligentiæ scientiæque luce collustravit, cur  
 non & linguam polire potuit, ut quæ cognoverat, commodè pla-  
 neq; effaretur? Ipse ne utiquam dubito, quin secunda Hermogenis  
 idea, quæ μέγιστος sive magnitudo appellatur, cum omnibus  
 suis*



suis partibus in hoc Propheta eniteat maximè: Quanta enim  
 αειρότης sive gravitas se offert, quanta τραχύτης sive asperitas  
 usquequaque conspicitur, quanta σφοδρότης sive vehementia in  
 omnibus capitibus eminet & apparet? Unde clarum satis ac ma-  
 nifestum evadit, sacros illos doctores, quorum monumenta di-  
 vinitus inspirata sunt, non sapientes tantummodò, sed & elo-  
 quentes jure optimò nuncupari. Id quod fidenter adeò asseruit B.  
 Augustinus, ut simul asseveraret, se posse omnes virtutes, & orna-  
 menta eloquentiæ, de quibus inflantur homines gentiles, è sacris literis  
 ostendere (o). Qui non hoc voluit, divinos illos Viros hanc dedisse  
 operam, aut Rhetorū disciplinas & præceptiones coluisse; quan-  
 doquidem hæc scripta non sunt humanā industriā composita, sed  
 divinā mente fusa & sapienter & eloquenter, nō intentā in eloquen-  
 tiam sapientiā, sed à sapientiā non recedente eloquentiā. Sicut ergò  
 inquit (π), Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dici-  
 mus; ita quod ejus sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.  
 Ubi speciatim commendat Prophetam nostrum, quamvis rusti-  
 cum aut pastorem, quod neque ineruditus fuerit, neque elocutio-  
 nis ignarus. Merentur hinc legi Casparis Sanctii verba, quibus Hie-  
 ronymum redarguit & refellit: Fortasse ideò imperitus existima-  
 tur Amos, quia inter Thécuanos pastores vitam egit rusticam, ab ur-  
 banò convictu separatam, atque ideò non habuit, unde politoris ser-  
 monis facultatem acciperet: aut quia translationibus utitur ac simi-  
 litudinibus ex agro sylvâque desumptis. Quorum neutrum imperiti  
 rusticique sermonis nostrum prophetam apud sapientes arguit. Neque  
 enim ab hominum familiari congressu eloquentiam didicit, sed à di-  
 vino spiritu hausit rusticus Amos. Qui enim os aperit mutorum, &  
 elingves ad sermonem informat: qui linguas infantum facit disertas,  
 idem rusticum, elingvem & barbarum, si talem esse fateamur, sic  
 expolivit, ut in eò humana eloquentia nihil amplius desideret. Idem  
 quod Amos institutum coluit David, & in eòdem, ut arbitror, agro  
 Thécuano. At quid in Davidis Psalmis rusticum? quid, quod elo-  
 quentiam summam non redolet? Deinde respondet ad similitudi-  
 nes

(o) l.c.c.6.

(π) l.c.c.7.

nes



nes ex agro sylvâq; petitas, adductis græcis latinisqve Poëtis, Theocrito ac Virgilio, quibus hujusmodi exempla nihil offecerunt.

§. 15. Benignius statuitur de Ezechiele. Sermo ejus secundum Hieronymum, *nec satis disertus, nec admodum rusticus est; sed ex utroque mediè temperatus.* Eadem ex ipsò repetiit Leusdenius. Magna fuit celeberrimi Patris eruditio, & magna quoque autoritas, quam nemo prudens temere vellicaverit. Interim quò plura ea & graviora sunt, quibus summi Viri occupantur & intendunt animos, eò minus in singula penetrant, sæpe multa nondum satis considerata ac meditata pervulgant; quæ eò avidius arripiuntur ab aliis, quò habentur præstantiores illi, qui offerunt. Itaque in hâc materiâ non satis, opinor, rustici notionem perpendit, cum talem in sermone voluit esse Jeremiam, & quodammodo Ezechielem. Quid valeat apud Grammaticos, supra enarravi. Sermo temperatus è rusticò, non potest non esse barbarus. Quod utinã clarius exposuisset, ut intelligeremus, quæ sit illa rusticitas, consistatnè in verbis singulis an conjunctis? Jerem. & Ezechiel. Esaiâ esse ἀφιλεσεργε ac simpliciores, nemo harum rerum intelligens inficiatur; num ideò & rusticos? non dixerim. De quâ re infra pluribus. Et quoniam natale solum Jeremiæ adspersit hanc labem, unde Ezechieli adhæsit? Verum quid de his statuendum sit, immo etiam de reliquis fœderis antiqui libris, ex ante dictis cognoscere & dijudicare in proclivi est. Nec plura addam, nisi de Hosea pauca. Hunc cum Esaiâ conjungit Hieronymus, ac disertum facit prologo in Jeremiam; ubi de Prophetis minoribus duodecim agit, etiam *Commaticum* nominat. Α κόπτω cædo, est κόμμα incisum. Apud Rhetores κῶλον sive membrum, & κόμμα sive incisum inter se differunt, quod membrum pluribus syllabis & vocibus; incisum paucioribus constat. Apud Hieronymum membrum, colon, incisum, comma, versus, idem ferè significant, atque dicuntur, non quod pluribus aut paucioribus constent Syllabis, sed quod contextus seriem in membra aut partes quasdam distingvant! Unde sermo commaticus, qui est  
in



(ε) prafat. in  
Epist. ad Ga-  
lat.

(σ) Observat.  
in N. Fæd. c. 8.

τ) ἰλ. π. ἀ vers.  
514. usq; 526.

(υ) ὀδ. τ. vers.  
71.

(\*) τοι ῥυπόω.

in commata sive versus divisus. Sic Hieronymi verba (ε),  
*Scriptit ille Vir (Origenes) in Epistolam Pauli ad Galatas quinq;  
propria volumina, & decimum Stromatum suorum librum, com-  
matico super explanatione ejus sermone complevit, interpretatur*  
Eruditissimus Crojus(σ), quod Origenes contextui in comma-  
ta seu versus diviso suam subjecerit interpretationem. Inter-  
dum Comma apud Hieronymum sumitur pro sectione, quæ  
plures complectitur versiculos. In præfatione in Librum Job,  
*A supradictō versu, inquit, usque ad finem libri, parvum com-  
ma, quod remanet, prosâ oratione contextiur.* Comma hoc  
sexdecim versus posteriores continet, observante eodem Crojo.  
Quò sensu nunc Hoseas dicatur Commaticus, recte explanat  
Sanctius: *qui crebris sententiis stylum interrumpit, neque diffu-  
sum inscribendo adhibet modum, sed incisum, non tam diffuens,  
quàm sententiis abundans.* Exemplum commaticæ orationis  
annotavit Eustathius in precibus Glauci ad Apollinem (τ),  
cum ob acerbissimos vulneris dolores sæpe anhelans, multas  
sed concisas expromeret sententias. Tale & illud est Ulyssis  
irati, κομματικὸν pariter & ἀσύνθετον(υ):

Δαιμονίη, τί μοι ὦδ' ἐπέχεις κεκοητότι θυμῷ;  
ἢ ὅπ' ἔλιπόω \* ; κακὰ δὲ χροὶ εἴματα εἶμαι;  
Πτωχεύω δ' ἀνάδημον; ἀναγκάη γὰρ ἐπείγει.  
Τοιῶτοι πτωχοὶ καὶ ἀλήμονες ἄνδρες ἔασι.

Mala, cur sic in me inveheris irato animo?

Nunquid quod sordeo? mala autem corpore vestimenta  
sum indutus?

Mendico autem in populo? Necessitas enim urget.

Tales pauperes & erratores viri sunt.

Quid velit Hieronymus, declarat ipse: *Osee commaticus est, &  
quasi per sententias loquens.* Hæc de stylo Fæderis antiqui He-  
braici διὰ βραχέων καὶ ὡς ἐν παρόδῳ. Deinceps plenius,  
juvante Deo, institutum meum de Novo Testa-  
mento persequar.

יהי שם יהוה מבורך :

Coll. dess. A M7, misc 28